

## **Aegram pleuriticam ... / autor Wolfgangus Christophorus Wesenerus.**

### **Contributors**

Wesener, Wolfgang Christoph, active 1674-1692.  
Wedel, Georg Wolfgang, 1645-1721.

### **Publication/Creation**

Jenae : Literis Krebsianis, 1674.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/yzuuk7gy>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

**ÆGRAM  
PLEURITICAM,**

Consensu & Auctoritate  
Illustris, ac Gratosissimæ Facultatis Medicæ  
in celeberrimâ Salanâ,

*SUB PRÆSIDIO*  
MAGNIFICI ACADEMIÆ RECTORIS  
DESIGNATI,

*VIRI Nobilissimi, Amplissimi, Excellentissimi  
atque Experientissimi*

**DN. GEORGII WOLFF-  
GANGI WEDELII,**

Med. Doct. & Theoretices Prof. Publ. longè famigeratissimi,  
gratosi sui ordinis Decani spectatissimi, Medici Ducal. Sax.  
felicissimi, S.R.I. Acad. Natur. Curios. Colleg.  
meritissimi,

*DN. PATRONI, PRÆCEPTORIS, ac PROMOTORIS, ut &  
HOSPITIS sui æviternum devenerandi,*  
publico Philiatorum examini subiciet.

AUTOR

**M. WOLFGANGUS CHRISTOPHORUS  
WESENERUS, Hall. Sax. Med. Cand.**

*Ad diem 29. Julii,  
in Auditorio Medicorum.*

18  
A. G. R. A. M.

E. E. R. I. T. I. C. A. M.

MAGNETICI ACADEMIE RECTORIS

N. G. E. O. R. G. I. I. W. O. L. F. F.

G. A. N. G. I. W. E. B. E. L. L.

P. A. T. R. O. N. I. P. R. A. E. S. E. P. T. O. R. I. I. S.

W. O. L. F. G. A. N. G. U. S. C. H. R. I. S. T. O. P. H. O. R. U. S.

W. E. S. T. M. A. R. I. I. S. H. E. S. S. I. A. N. O. C. O. N. D.

## P R O O E M I U M.

**N**ihil tam contra naturam est, quàm dolor. Gravis est in morbis mortis metus; gravis est carentia voluptatis, gravior corporis dolor. Adeò difficile est humanæ naturæ sustinere dolores, ut resistere malit voluptatibus, quàm eorundem sentire faces.

Morbi infiniti humanum excruciant corpus, nulli tamen formidabiliores, quàm quibus comes dolor obtigit. Hi peculiarem quasi classem morborum constituunt, carnifices humani generis, omniumque microcosmi partium.

Non artus, ceu limites, horum solùm vim sentiunt, non exteriora tyrannidem hanc sola experiuntur. Divisum cum sensu ferè est doloris imperium. Nulla pars sentit, quæ non tristi sensatione affici, seu dolores pati apta nata sit.

Exturbare sensus imò animum consueverunt iidem. Heu miseram mortalium sortem, qui tortores in propriis fovent visceribus! Exempta non est nobilitate reliquis antecellens, non dignitate superior, non usu necessarior pars. Quæque suos patitur, imprimis à dolore, manes.

Mittimus eos cruciatus, qui caput ceu arcem exercent, si-lemus, qui abdomen divexant, nec, qui aliis insidiantur, minoris subsellii membris, attingimus. Dira in proscenium eat Pleuresis, in regio medio ventre in cordis confiniis tristi fer-ralis dolore, tyrannico dira imperio, vitæque eò penitius insidias struens, quò propius vitali fonti incumbit.

Convulsionem in Pleurâ furente dixerit *Helmontius*, non tamen satis exprimuntur hoc ipso horrenda tormenta; sed malum contrà ire fortius, quàm fixo obtutu in doloris admirationem rapi longiùs. Cumq; per exempla compen-diosior longè sit via ad praxin, quàm per præcepta, hæc ipsa ad Ægram Pleuriticam, faxit Deus feliciter, applicabimus.

## *Historia.*

**V**IRGO XXX. Annorum desponsata; & jam Sponso maritanda, Mense Januario. cum se exposuisset aëri frigidiori in templo minus benè vestimentis tecta, & præcedentibus diebus loturæ sub jove frigido vacasset, & hinc subito magno calore corpus rigidum refocillasset, aliàs serosior, & defluxionibus catarrhalibus perobnoxia, habitus macilenti, Temperamenti ex prædominio biliosi, menses parciores & dolorificos ut plurimum patiens, stomachi debilioris, corripitur leni horripilatione, maximè in dorso, quod licet rigor hyemali prius adscripsisset, paulò post tamen etiam calori reddita hypocausti, idem experta est; subsequente calore continuo p. n. Hinc dextrum Thoracis latus pungitivo sensit dolore affligi, cum inspiratione molestâ, & dolorosâ tussiculâ. Omnia hæc in tertium jam diem continuant, aucta & exacerbata. Sputum apparet subcruentum; Pulsus intermittentiam spondet. Sollicitus Sponsus & Parentes citum petunt Prognosticum & Auxilium.

## *RESOLUTIO.*



**A**ffectus, de quò desponsata virgo XXX. annorum conqueritur. PLEURITIS est, Symptomata sanè, lateris compunctionem vel dolorem aspiciuntur gravissimum, vel Morbus, quando inflammatio

nen

nem & furibundam ejus, juxta *Helmontium*, invasionem attendimus, magnus, periculosus & acutus. Etsi enim partes principales per essentiam non afficiat, ut cor, cerebrum, atq; magnus quoad partis dignitatem nominari nequeat, *ἐν αὐτῇ* tamen suâ & impeditâ respiracione, ut & magno à statu naturali recessu omnia resarcit abundè. Adesse Pleuritidem veram & exquisitam, ac ad Pleuram humores confluere ceu populus ad seditionem motus, eamque infestare, teste *Galeno l. 5. de loc. affect. c. 3.* patefaciunt signa in *Historiâ* fusè relata. Nam quoad *essentialiter inbærentia* seu *pathognomonica signa*, prægresso horrore, dolor adest lateris pungitivus, respiratio molesta, pulsus, præterquam quòd aliàs in his durus, celer & inæqualis deprehenditur, h. l. intermittentiam etiam spondet & offert, sputum apparet subcruentum, cum tusi dolorosâ. Et quod superest Febris per calorem p. n. se exerit, cum continuatione omnium symptomatum in tertiam diem aucta.

SUBJECTUM seu PARS AFFECTA PRINCIPALIS PLEURA est, in latere Thoracis dextro, pars membranæ costas succingens, & Peritonæo admodum similis, teste *Gal. 7. de administr. Anat. c. 2.* Patet hoc 1. ex situ, est enim in thorace dolor, & 2. ex doloris qualitate, qui pungitivus est, non qualis ab Hepatis parenchymate oritur, ac membranam proinde Jecoris affici non videmus, cum exinde potius dolor gravativus, ob nervorum raritatem, quàm pungitivus, & respiratio minus impedita provenire, quid? quòd dolor ipse Thoraci potius subesse, quàm inesse deberet.

Subjectum MINUS PRINCIPALE seu ADÆQUATUM sunt *Musculi intercostales*, quò & ipse Pulmo spectat, qui remotioris subjecti titulum, quatenus materiam peccantem absorbet & in se derivat, meretur.

Sunt, qui Pulmonem primariò affici statuunt in Pleuritide, ut *Platerus, Zechius & alii*, quòd tum aliundè, tum ex *Hippocratis* quodam loco probare volunt. Concedimus nonnunquam eos affici simul, non verò semper: in nostrâ ægrota verò Pulmonem ab inflammatione immunem esse putamus.

**CAUSA IMMEDIATA**, quæ Pleuritidem hanc induxit, est *πύμα συνίσχυμενον*, seu influxus humorum Pleuræ impetus, qui in eâ stagnantes acriores fiunt, & hinc distendendo partes Pleuræ membranofas solutionem continui intendunt, & inflammationem excitârunt.

**MEDIATA VERÒ PROXIMIOR** est *πύμα ὀρεώμενον*, hæc qualitate, illa verò quantitate excessit, & Pleuritidem conciliavit. Humor nempe in sanguine, qui aliàs varius, pituitosus, melancholicus, hîc biliosus & serofus, quod ex Temperamento ægrotæ bilioso & seroso patet, extravasatus est, Pleuramque infestavit, unde & sputum ex sanguine bilioso subcruentum apparet.

Sanguis enim in corde biliosus generatus, nec in hepate ritè segregatus ac proinde volatilis, per ramos venæ cavæ ascendentis, & quidem per intercostalem dictam, hujusque exilibus propaginibus apertis per *ἀναστόμωσιν*, *διὰ πύθησιν* vel *διαίρεσιν* tandem in Pleuram effusus substitit. Hinc circulatione impeditâ producta est inflammatio Pleuræ seu tunicæ musculos ipsos intercostales succingentis, mescentiâ eidem inductâ, tum quia extra sphæram suam vappescit, tum acidis effluviis transpirare ob frigus æris prohibitis, teneram ejusdem consistentiam invertentibus, magis inhæret, & ob conjunctam acrimoniam solutionem continui seu dolorem & alia plura mala produxit, ipseque jam in vasa recipi ineptus, alterationem subit aliam, & impus vertendus à porosâ Pulmonum substantiâ beneficio transudationis iterum attrahitur, & subcruentâ excretionem se prodit. Concurrunt calor & dolor, transmissioni & receptioni multùm favens, ipsaque debilitas membranæ, luere coactæ totius massæ sanguinæ vitium.

**MEDIATE REMOTIORES** causæ hujus affectus sunt vel *Naturales*, vel *non Naturales*, vel *præter Naturales*.

Inter **NATURALES**, *Habitus* ægrotæ macilentus concurrat. Item *Ætas* nostræ ægræ ad mediam & consistentem vergens constitutionem, ubi Pleuritides, effat

Hippo

*Hippocratis 3. Aph. 30. sæpiùs accidunt. Consentit; Tempe-  
rumentum biliosum & alia.*

EX NON NATURALIBUS memorandus I. AER frigidus hyemalis, cui sese desponsata in templis, vestimentis minus benè tecta, exposuit. Hyeme verò præprimis generari Pleuritides, autor est *Cous 3. Aph. 23.* tunc quippe sanguinis motus frigiditate facillè inhiberi, vasa angustari, rumpi, vel ob poros obstructos vitiosior sanguis accumulari aptus est, qui interiora molestare possit, vel viscera respiratio- ni inservientia lædere.

Insuper loturæ præcedentibus diebus sub Jove frigido vacavit, & hinc subitam mutationem magno calore corpus rigidum refocillando sustulit, unde ambiens frigus & subse- quens statim calor, referente *Celso l. 4. de re Medicâ. cap. 6.* comprimendo ac liquando fluxiones, quibus alias obno- xia est, magis proritarunt. Frigus ergò sanguini coagula- tionem quandam intentavit, præcipuè ob inæqualitatem, cum ex frigido æere rigidum corpus subitò calidiori foco reficere voluerit.

Porrò inter EXCRETA & RETENTA Menses quo- que parciores & ut plurimum dolorifici, multum hunc af- fectum etiam promovere potuerunt, restagnante in corpo- re & excrementis biliosis impuris infecto sanguine. Mul- titudinem enim acrium humorum & biliosorum, præter va- forum angustiam, indicant, qui facili negotio ad superiora restagnantes extravasari & in Pleuram effundi potuerunt.

Nec non ANIMI PATHEMATA fomitem morbo addidere: dicitur enim Virginem 30. demum annorum de- sponsatam & jam sponso maritandam esse, unde forsitan conjugium seriùs quantisper ineundum, spiritus eò acrius ex spe ferè omni deperditâ accendere notabilemque in ani- mō alterationem & humorum commotionem causare potuit.

Huc referri possunt ex classe rerum p. n. *defluxiones catarrhales*, cum Natura invenerit locum debiliorem, quò mittere humores & inflammationem ciere potuerit, quin & ipsa stomachi debilitas *ἀσθενία* chyli non legitime procu-  
rans

rans non minimum attulisse pondus statui potest, quapropter Symptomata etiam quamplurima suborta, quorum causas paucis nunc pensitare licet.

Et 1. quidem *lenis præcessit horripilatio, maximè in dorso* ob heterogeneum statum sanguinis, inductum à causis recensitis, hinc particulis acribus, mordacibus & acescentibus eidem remixtis, fieri non potuit, quin inæqualitas hæc in panniculo carnosio sentiatur.

2. *Calor p. n. continuus successit*, quia inflammatio in membro cordi vicino est, communicatâ cum sanguine putredine, index febris certissimus.

3. *Dolor Lateris punctorius* adscribendus distensionis in parte membranosa factæ, & inde inductæ continui solutioni. Biliosus enim sanguis calore p. n. magis magisque agitated, per *ῥευματισμὸν* ad Pleuram delatus substitit, firmamque ibi eligens sedem & *σοροφικὴν* excitans inflammationem, membranam lancinavit, & solutionem intendens punctorium causavit dolorem, nervosis partibus osensum exquisitissimum essentialem, *juxta Galen. 5. de loc. aff. cap. 2.*

4. *Spiratio molesta*, quia ob angustiam pectoris & dolorem pulmones minùs liberè dilatari queunt.

5. *Tussis dolorosa*, quia parenchyma pulmonum sat spongiosum, & Pleuræ admodum contiguum transsudante illinc humores facillè imbibit, ubi prius crudi, hinc constantiam expuitioni magis aptam nacti, bronchia arteriæ asperæ ad sui expulsionem irritant, & ex compressione Thoracis, propter tumorem inhærentem, dolor eandem comitatur, hinc in latus oppositum decumbere nequit quia Pulmones tunc magis à tumore, pendulo quasi, comprimuntur, ipsaque pleura magis distenditur.

6. *Sputum suberuentium apparet*, quia natura separationem jam instituire cœpit, & partem evacuat, reliquam in dies ad coctionem magis perductura. Sanguis enim patentiore viâ emanans, à Pulmonibus receptus, & per tussim exscretus fuit.

7. *Pulsus intermittentiâ spondet*, ob grumescentiâ sanguinis, & commixtas heterogeneas particulas, quæ deviant à sanguinis purpurâ.

Sed satis de Affectus naturâ & symptomatibus, cum Spondus & Parentes opem potius citumque Prognosticum, quam verba petant.

PROGNOSIN proinde aggredientes, & 1. quidem ratione SALUTIS & MORTIS, licet juxta *Hippocratem l. 1. de Morb.* Morbus sit acutus, & dubius, adeoque ejus vel ad salutem vel ad mortem certa non sit prædictio 2. *aph. 19.* licet certitudinem metui possit Empyema, Phthisis vel pejus adhuc malum, imò ipsa mors; bene tamen sperare jubemus, desumpto prognostico præcipuo, uti par est, à *spuro.* Hoc intra tertium apprensens diem, copiosius imprimis, & securum morbum, & brevioris promittit; elogio 1. *aphor. 12.* Sputum enim 1.) subcruentum morbum à sanguine seroso, qui omnium humorum mitissimus, provenire, (2.) primis statim diebus spontè excretum dominium naturæ tam in digerendo quam in expellendo ostendit.

*Vires* etiam non adeò atteruntur, respiratio sic satis procedit, *Ægra in animalibus* caret deliriis, in vigore ætatis est constituta, ut aliis bonis indiciis latius non immoremur. Neque obstat 1. inflammatio cordi vicina, quia exitum invenit natura, quò materiam averruncet & eliminat; Nec 2. Pulsus intermittens, quem sine lethali sinistro eventu sæpius in Pleuriticis observavit *Dn. D. Præses.* Fieri non potest, quin *μίσμα* virulentum ad cor feratur, natura tamen, cum reliqua sibi consentiant, nec deficiat, nec debilis sit, huic facile providebit, adjuta imprimis debitis remediis.

Neque, quoad TEMPUS EVENTUS, diu durabit morbus, sed citius, ut reliqui morbi acuti, decurret sua tempora, sperandam spondemus, volente Deo, ægram die decimo tertio, vel citius, designantes

MODUM EVENTUS per *suppurationem*, seu evacuationem *αἷω* per os, tussi factam, quod ipsa sputi cum cruore relictæ ratio suppeditat.

CURATIONEM instituemus observatis indicatibus, 1. CURATORIA, morbi, seu inflammationis Pleuræ ablatione, 2. PRÆSERVATORIA, causarum remotione & symptomatum mitigatione, 3. VITALI, virium prostratarum refectione, & prosterndarum conservatione.

MATERIÆ PRÆSIDIORUM ex triplici fonte eripienda.

Ex CHIRURGICO V. S. tum à veteribus *Galeno l. 1. comment. 23.* imprimis, & eum sequentibus adeò laudatum cum in omnibus inflammationibus, tum in specie in Pleuritide, ut *elogio Riverii l. 7. cap. 2.* nunquam omittendum censeatur.

Nos in nostrâ ægotâ eam omittendam censemus, nisi in aliis facilè in usum vocandam, experientiâ *Magnif. Dn. Præsidis*, & rationibus innixi, imprimis, quod h. l. natura jam aggressa sit inimicam materiam & excernere illam satagat sputum enim cruentum indicio est, materiam ad suppurationem inclinare.

CUCURBITULAS *Zacut. Lusit. & River. Cent. 3. serv. 39.* lateri dolenti cum profundis scarificationibus, siccas in dorso lateris oppositi revulsionis gratiâ applicaverunt. Nos topicis solùm & lenibus *frictionibus* erimus contenti.

Sed antequam ex fonte Chirurgico secedimus, querendum adhuc, an *Paracentesis Pectoris*, nuper ab Excellentissimo & celeberrimo *Dn. D. Fascio* in Anatomia publicè dexterrimè demonstrata in ægotâ nostrâ convenire possit & R. negando. Paracentesis enim pectoris in Empyemata locum habet, ubi in cavum thoracis effusum pus negotium faceffit; nostro verò in casu metuendum id non esse, experientia patet.

Pergimus ad fontem PHARMACEUTICUM, ubi primo loco offendimus LENIENTIA, quibus solis contenti sumus, missâ purgatione. Si ergò alvus non respondeat officio,

**R.** *rhabarb. opt. ʒi. fol. fen. Alex. ff. ʒij.*  
*flor. 4. cord. ā. p. j. cort. citr. cinnam. acut. ā. ʒj.*  
Coque in *f. q. ∇ a font.* Colatur; **R.** ʒiv.  
Dissolv. in eā *sirup. rosar. solutiv.*  
*cichor cum rhabarb. āā. ʒij.*

M. F. Hauftus.

Idem obtineri potest pilulis aloëticis minoribus Ffurten-  
bus, Glassianis, vel Magnif. Dn. D. *Præsidis*, vesperi cum cibo  
sumptis, vel clystere, qualis potest esse sequens.

**R.** *rad. alb. lil. alb. ā. ʒʒ.*  
*fol. malv. parietar. mercurial. ā. mj.*  
*cerefol. card. bened. ā. mʒ.*  
*flor. chamomill. melilot. verbasco. ā. p. iij.*  
*sem. lini, fœni græc. ā. ʒij.*  
*bordei mj.* Coque in *f. q. ∇ a font.*  
Colaturæ

**R.** ʒʒ. adde *electuar. lenitivi, catbol. ā. ʒj.*  
*o lil. alb. rutac. ā. ʒʒ. mell. rosat. ʒvj. ① ʒiat. ʒj.*  
*vitell. ovor. n. j.*

M. F. Clyster, applicetur ut moris est.

VOMITORIA licet commendent *Hartmannus*, *Rulandus*  
alii, consultius omittimus; ne præsentaneo & suffocationis  
vitæ periculo ægram exponamus. Sed præmissâ vel inter-  
positâ pro re nata hâcce evacuatione universali, intentio  
ostra erit, sine præviâ præparatione humorum aliâ, ea adhi-  
endi, quæ discutere & resolvere morbificum *μιασμα* pos-  
sunt, quæ influxionem ulteriorem impediunt, & id quod par-  
impactum jam est, quantum licet & possunt, resolvant, ut re-  
fluum natura facilius ad suppurationem vertere & se ab hoc  
nere molesto liberare queat. Hæc & præparantium & speci-  
corum loco esse queunt.

Hinc DIAPHORETICA & his immixta appropriata unicè  
eneramus, quæ cum partim volatilia sint, partim fixa, illum  
hibebimus delectum, ut illa sub principium, hæc circa finem  
agis propinemus. Commodissimum verò est Bezoarticis  
volatilibus curæ initium facere.

Rx. *mixt. simpl. ʒij. extract. papav. rhead. ʒß.*  
*tinct. anod. gt. vj. M. in vitro. Dos. ʒo. ʒa. gtt.*

Rx. *mixt. simpl. camphor. tinct. bezoart. ā. ʒj.*  
*essent. anod. gtt. v. M. in vitro.*

Rx. *tinct. bez. Michael. ʒij. D.*

Rx. *∇ card. bened. cerefol. ulmar. ā ʒiß.*

*tinct. bez. ʒij. ~ ʒri rectific. ʒß.*  
*sir. card. bened. papav. rhead. ā. q. s. ad gr.*  
*lap. M.*

Rx. *∇ card. bened. scabios. cerefol. ā. ʒj.*

*M. S. ʒj. tinct. papav. rhead. ʒß.*

*sir. ejusd. ʒvj. M. S. uff 2. mahl.*

Vel Rx. *tinct. antipleurica Mæb. ʒij.*

*Dos. gt. XXIV. in brodio carnis vel decocto c*  
*pon. Est autem hæc :*

Rx. *~ theriac. ex spec. ther. cum ~ citr. sambuc. &c. part.*  
*& camphor. part. V.*

*~ ʒr. rectific. part. IV.*

*clyss. ʒii part. j.*

*extract. flor. papav. rhead. q. s. vel ʒß. Misc & dige*

Rx. *∇ card. mar. ʒiij. theriac. Androm. ʒj.*

*~ antipleurit. ʒß. essent. flor. bellid. ʒj.*

*sir. papav. rhead. ʒj. M. in fictili.*

Vel adhiberi potest potio *Sylvianâ* commendatione ill

*stris l. i. prax. c. 40. §. 26. & hæc est :*

Rx. *∇ petrosel. hyssop. fœnicul. ā. ʒj.*

*theriac. simpl. ʒß. ~ \*c. ʒß. laudan. op. gr. iv.*

*sirup. papav. errat. ʒj. M.*

Hinc sensim vel subjungi, vel pro re natâ interponi qu

unt fixiora. v. g.

Rx. *pulv. pleurit. Myns. ʒj. ʒii diaphor. ʒj.*

*mag. C. C. cum ~ ①,*

*anodyn. ā. ʒß. M. F. pulvis.*

Rx. *pulv. pleurit. Magnif. Dn. D. Presid. ʒj.*

*D. in chart. S. Sonderl. Pulver auff 3 mahl.*

Rx. ma

Rx. *mandib. luc. pisc. lap. S preparat. priap. cervin.*  
*dent. apr. philos. preparat. Sii diaph. ā. ℥j.*

Potest pro doloris urgentiâ misceri cum opiatis, hæc enim, sub finem præsertim, insigniter profunt.

Rx. *dent. apr. philos. preparat. Sii diaph.*  
*lap. S specif. cephal. ā. ℥j.*  
*magist. anod. ℥ss. M. F. Pulvis.*

Rx. *pulv. pleurit. Mich. ℥j. bezoart. ʒial. ℥j.*  
*magist. anodyn. c. S. g. x. M.*

Ut verò materia eò melius expectorari possit, par est ab ipso statim morbi initio ex DIURETICIS ea mutuari, quæ & alterent æstum, & tussim, in quâ cardo curationis consistit, leniter promoveant, uno verbo acidiuscula, sed non Glata, ut ea cum potu mixta, vel julepis sensim stimulum naturæ addant, præcipuè si videatur tussis emanere.

Rx. *clyss. Sii. ʒrat. ℥ij. essent. antipleurit. ℥j.*  
*M. in fict. S. 30. Tropffen in ein Mößel Bier.*

Rx. ~ *S rectific. ℥j.*  
*Tinct. pav. rhead. ℥ij. M. in fict. S. u. l.*

Rx. *aq. cerefol. papav. rhead. ā. ℥iij.*  
*S prunel. ℥ib. sirup. papav. rhead. ℥j. M.*

Rx. *aq. tamx scorzon. card. bened. ā. ℥iij.*  
*tinct. papav. rhead. ℥j. clyss. S ʒ. ℥j.*  
*sir. papav. rhead. q. l. ad gr. l. M.*

Rx. *aq. card. bened. papav. rhead.*  
*cerefol. ā. ℥j.*  
*~ antipleurit. ℥ij. sir flor. acat. ʒvj. M. S. Löses*  
*tränckl.*

Vel potui affundatur *Tinct. flor. papav. rhead.* cum ~  
*S. vel Tinct. alterant. Moeb. q. l.*

Confortantium censum augere queunt i. potiones cordiales aliæ, v. g.

Rx. *∇ card. benedict. scorzoner.*  
*papav. rhead. āā. ℥iv. typh. C. C. ℥j.*  
*confect. alkerm. s. ambr. S mosch. ℥ij.*  
*~ cinamom. ℥j. sir. papav. rhead. acetos. citri ā*

q. s. ad gr. saporem. S. Stärck Julep.  
Vel emulsio talis parari potest.

Rx. amygd. dulc. excort. ℥j. semin. melon.  
card. bened. maria, papav. alb. ā. ℥ij.

Fiat cum ▽ flor. papav. rhead. cichor. rosar. āā. ℥iiij. l. a.  
emulsio, addantur rasur. dent. apr. corall. rubr. prepara-  
rat. ā. ℥℞. lap. ☉. preparat. ℥j. Edulcoretur man-  
christ. perl. S. Stärckmilch wohl umbgerüctelt zuge-  
brauchen.

2. Expectomantia si tussis & materiae expectorandae conditio  
id efflagitet. v. g.

Rx. rad. glyzyrrh. scorzon. alth. ā. ℥℞.  
fol. cerefol. bellid. min. russilag, ā. m. j.  
flor. borag. bugloss. pap. rhead. ā. p. iij.  
sem. anis. fœnic. ā. ℥j. passul. minor. ℥j.  
ficuum ping. dactyl. recent. ā. par. iij.  
bord. select. mj. Coq. in suff. q. ▽. ad dimid.  
Colat. adde sirup capill. ♀ granat. a. q. s. pro gr. sap

Rx. ▽ flor. papav. rhead. meliss. card. ben. ℥j.  
~ antipleur. ℥j. sirup. fl. acac. ℥i℞.  
~ ♀. q. s. pro grat. sap.

Sic etiam pulveres pectorales, spec. diair. simpl. & Salom.  
cum fl. ♀. spermat. ceti, & aliis accuratè remiscendi, elix. pe-  
ctor. essent. myrrh. balsam. balsam. ♀. anis. cum ☉ bez. &c. u-  
surpari eo fine queunt.

Rx. loohsan. & expert. de farfar. ā. ℥℞.  
☿ diaph. lap. ☉. a. ℥j.

F. cum sirup. papav. rhead. eclegma. Detur cum bacu-  
lo glyzyrrh.

Internis hisce jungenda quoque sunt TOPICA, lateri  
affecto applicanda. Debent hæc esse paregorica, lenientia  
dolorem discutientia & suppurationem promoventia.

Rx. unguent. dialth. ☉ M Matthiol. ℥℞.  
anis. destil. camph. gutt. v. l. vj. S. Eiserlich Del.

R̄. unguent. anod. pleurit. Mynf. ā. ʒiij.

⊙ carmin. ejusd. ʒβ. M.

Sic etiam ad humectationem viarum & materiæ vesicae bubula lacte repleta calidè loco affecto applicari potest; Vel sacculus sequens in lacte coctus tepidè adhibeatur.

R̄. fol. alb. mβ. fl. chamem. miiij. lil. alb. mj,

sem. anis. lin. fœni græc. ā. ʒij.

furf. mβ. M.

R̄. ⊙ lil. alb. chamem. scorpion. ā. ʒij.

anis. ʒ. gutt. ix. M. D. superponatur sacculus præcedens non in lacte coctus. *Bartboletus* laudat emplastrum de caulibus.

Vel applicari potest remedium *εὐπρόσιτον* domesticum, cataplasma ex **+** cum fermento inter duo linteamina loco dolenti apponendum.

Brevibus adhuc de DIÆTA. IN NATURALI CIBI sint *εὐπεπτοι*, carnes caponum, gallinarum ova sobilia commendantur. Sorbitiones ex cremore ptisanæ crebriùs instituantur, juxta præceptum *Hippocr.* si os humescat, ptisanam majori quantitate sorbendam dato. Juscula avenacea & similia profunt.

Assumi etiam potest pomum *borisdorf.* thure masculino repletum & assatum cum haustu  $\nabla$  *card. bened.*

Potus Tincturis supra memoratis sit acidulatus; Vinum exulet. Cerevisia sit tenuis, jam dictis medicata, nec frigida (quæ pectori inimica) adsumatur. Mala Chinensia etiam non denegabimus.

IN VITALI, AER sit purus ad calidum vergens, suaevolens floribus odoratis redditus. Frigidam auram vitet, nec ante tempus se aëri exponat.

IN ANIMALI, *alvus* fervetur lubrica, menstrua justo tempore appareant, & vigilæ si adsunt, emulsionibus temperentur

R̄. sem. card. bened. mar. lact. citr. ā ʒij.

amygd. d. ambros. ʒβ.

$\nabla$  veron. acetos. card. bened. ceref. ā. ʒij.

F. l. a. emulsio, adde *pulv. pleurit.* M. ʒʒ. l. ʒj.

*magist. anodyn.* ʒʒ. *sacch. perlat.* q. s. pro gr. sap. Et opiata, sed cautè, adhibeantur.

QUIES præstat, nimia Veneris impressio, ac cum sponso conversatio vitetur.

---

*Clarissime VVESENERE,*

**E**Legans Parcemia est *Pindarica*; dulce bellum *inexpertis*, *expertus* verò accedens ei animo *vehementer* horret. Quod hostes Duci, id morbi medico exhibent negotii, unde utrisque optima intercedit convenientia. Invertam ego sententiam, & dulce bellum *expertis* asseram, *inexpertis* horridum. Sistas nostrâ manu ductione *Pleuritidem*; dulce est, exercitatum ad lectum accedere, gloriosum id medico, ægroto jucundum & salutare est. Non reformidabis & hunc & alios morbos, quorum exemplis cum Dnn. Commilitonibus exerceri gestis.

Ὅχι ἐστὶν ἐν πολέμῳ δις ἀμαρτάνειν, non licet in bello bis delinquere. Qui in exercitio veram eligit viam, diutinâ experientiâ sæpius tritam, satis habet, si manu duci & corrigi velit, adeoque errores deponere, ut sapienter hinc agat, nunquam timidè, nunquam præcipitanter.

Maçte hoc ausu! Fer opem salutarem ægris, qui tuam exposcent operam, nihil intentatum relinque cum aliis, ut in ipsum veræ methodi sacrarium admissus forti animo & cordato ad lectum ceu campum Martium compareas. Manebit hoc studium gloria, unicum medici præmium, manebit gaudium, benè actæ rei conscientia, & effectus exoptati subsequo præconio, Dab. è musæo, d. 25. Jul. 1674.

Georg. Wolffg. Wedelius, D.

